

tum possit remitti, nempe credendo in Deum, qui solus remittere peccatum potest. O singularem Dei erga homines peccata sua agnoscentes, gratiam & benevolentiam. Bibliis. 1545.

*Censura*, Hæc annotatio hæretica est, tollens confessionem sacramentalem, & potestatem clauium pro illa parte, Qui solus remittere peccatum potest, cum Sacerdotes hierarchici suo modo remittat, licet solus Deus authoritatiue & principaliter remittat.

*Atqui longè mitius agebat Christus cum hostibus suis acerrimis. Cum enim obiicerent illi, Dei esse solius, peccata remittere: nõ statim vociferatus est esse hæreticos. Quin potius eorũ sermonem confirmans, hanc in se potestatem competere docet, quia sit vnus cum patre Deus. Matt. 9. a. 6. Quod si hæresis est, tribuere Deo hũc honorem, quòd solus peccata remittat: ergo hæreticus est Deus ipse, qui idem asserit per suum Prophetam, Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, Esa. 43. d. 25. Scimus quidem & homines suo modo remittere,*